

DE
IMPERII SACRI STATVVM
PROTESTANTIVM
IMP. ROM. GERM.
VERA NATVRA ET INDOLE.

IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE
VIRO ILLUSTRI EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO
D. DANIELE NETTELBLADT,
POTENT. BORVSS. REGI A CONSILIIS AVLICIS
ET PROFESSORE IURIS ORDINARIO,
PRAECEPTORE SVO AETATEM COLENDO
DIE XIV. APRILIS MDCCLX.
H. L. Q. C.
P V B L I C E D I S P U T A B I T
A V C T O R
GEORGIVS SAMUEL MADIHN
G V E L P H E R B Y T A N V S.

HALAE,
WYPIS HENDELIANIS. (6)

IMPERIIS SACRA TERRA
PROTECTORIS IN TERRA
ROMANA IMPERIALE



LECTORI BENEVOLO.



Variae fuerunt, quae me mouerunt, rationes, ut hanc dissertationem conscriberem. De eo enim quam maxime sollicitus fui, ut tale thema dissertationis innuenirem, quod non otiosum, sed omnino disquisitione dignum. Incidi sic in hanc materiam, quam nunc ventilandam sisto, & quae

A

multo

multo iam tempore fuit pomum Eridos Iure-
consultorum ac Theologorum. Inter omnes
enim, qui fugitiuo tantum oculo indicem scri-
ptorum iuridicorum inspexerunt, constat, nul-
lum vastissimae Iurisprudentiae partem pluribus
commentationibus ornatam exstare, quam haec
dudum famigeratissima materia, ita ut earum
multitudo profecto nauseam creet. Sed si rem
ex vero & recto aestimare liceat; extra omnem
dubitacionis aleam positum esse censeo, tam mul-
ta in hac materia dicenda superesse, ut neno mi-
hi vitio vertere possit, si & ego omnem, quam
permisit ingenii imbecillitas & compendiosa the-
matis tractatio, operam adhibui pro defendendis
eminenterissimis Statuum Protestantium S. R. I. iu-
ribus in sacris. Quum vero tam multa, si quid
video, supersint, quae vnica dissertatione com-
plecti nequeant, Tibi, L. B. indicandum necef-
sarium esse duxi, quid in hac dissertatione pertra-

otium

etane-

711
Gauem, & quomodo se inuicem subsequantur.
Primo enim de eo, an Statibus Euangelicis im-
perium sacrum competit? non dispuo, quia id
nemo, cui mens sana in corpore fano, in du-
biu[m] vocabit, & praetera iam a viris celeberrimi-
mis, quorum in hanc Iurisprudentiae partem
merita prorsus immortalia sunt, satis ex instituto
est vindicatum. Quaenam vero huius iuris in-
doles sit, DD. a se inuicem dissentunt, & haec
est quaestio, quam hic v[er]teris euoluendam sumsi.
Quam ob rem demonstrabo *imperium sacrum*
Statuum Protestantium esse summum, & in pri-
mis annitar, vt argumenta, quibus pro parte
superioritatis territorialis contendit solet, e me-
dio tollam. Deinde etiam, quoniam regulae
methodi exposcunt, vt a principiis ad suas le-
gitimas conclusiones descendam, varia genera-
lia praemittere opus fuit, quae demonstrationi-
bus sequentium inseruiunt. Ostendam itaque

A 2

ex

ex principiis *Illustr. DN. P R A E S I D I S, Praeceptoris*, qui mibi omnium instar est, huius imperii relationem ad summum imperium ciuale Germaniae, ad superioritatem territorialm, ac deinde ad ecclesiam ipsam, circa quam illud versatur. Si in tractione ipsa aliquid humani passus fuero, meliora me edoceas velim, & ut meae imbecillitati & dubiis quibus haec materia est vexata, boneuole adscribas, etiam atque etiam rogo. Sic val! & labori faue.





DE
IMPERII SACRI
STATVVM PROTESTANTIVM
IMP. R. O. M. GERM.
VERA NATVRA ATQVE INDOLE.

CAP. I.
DE
IMPERIO SACRO IN GENERE
SECUNDVM LEGES NATVRALES.



Propria societate ponitur finis societatis. Positio Euoluitur
to fine societas ponitur obligatio ad finem. notio Imperi
Polita obligarione ad finem oriuntur iura ru.
ad media ad hunc finem obstinendum neces-
saria. Enascitur itaque ius sociorum actio-
nes ita dirigendi, ut fini communi societatis fiant confor-
mes. Est itaque *imperium* ius aliorum actiones ita diri-
gen-

gendi, ut fini societatis siant conformes. Quemadmodum vero fines societatum diuerfi esse possunt, ita etiam societas ipsae differunt. Finis vero societatis vel pro obiecto habet salutem & securitatem publicam, vel non. Si prius, oritur notio *Reipublicae*, (quae etiam a DD. dicitur *Civitas*) hinc adest *imperium reipublicae*, quod etiam *imperium ciuile* dicitur. Erit itaque hoc *imperium ius ciuum actiones* ita dirigendi, ut saluti & securitati reipublicae respondeant; is vero, cui *imperium ciuale* competit, *superioris* titulo insignitur.

M VI. Quaedam notiae quidem has notiones ingredientes non sunt definitae, adeo ut videatur me regulis definitiones condendi non satisfecisse; sed perpendat velim, quibus haec in mentem venuant, notarum ingredientium definitiones egregie formatae iam sat is extare in *Per. Illustr. huius Academiae Cancellarii L. B. de WOLFF. Instit. iur. Nat. & Gent. §. 836. seqq. Illustr. PRAES. Syst. iur. natur. Tom. II. §. 363. & 513. seqq.* Et summe venerabilis Ioan. Ernst. SCHUBERT *commentatione de iure principis circa sacra* §. 32. ita ut profecto superfluum foret, si in hac dissertatione cula definitiones vulgares recitarem. Deinde quoque viderur, mihi aliorum definitiones de *imperio* non satisfecisse, quia paulo alter in §. praece. notionem imperii determinauit, ac vulgo fieri solet. Sed institutas quoefo analysis notionum, quas DD. iur. nat. vulgo tradere solent, & cum iis connectas principia, quae recentiores Philosophi de imperii effectibus deducunt; tunc meam definitio nem ad eorum castra prorsus accedere animaduertes.

§. II.

De quo su-
periori di-
sponere li-
tit imperium, (§. praece.) adeoque ius ciuum actiones di-
ceat. *Superiori competit ius de omnibus disponendi, quae re-*
spectum ad rempublicam habent. Superiori enim compe-
tunt imperium, (§. cit.) rigendi, ut saluti & securitati reipublicae sint conformes
(§. cit.). Iam vero id, quod respectum ad rempublicam
habet, dicitur cum salute & securitate reipublicae conne-
xum

xum (per def.). Superiori ergo competit ius de omnibus disponendi, quae respectum ad rem publicam habent.

§. III.

Si qui socieatem ineunt, finis quem intendunt, vel Ecclesia & est determinatus religionis cultus, vel non; si prius, adest potestas ecclesia. Quum vero posita societate ponatur imperium, ecclesiastica poni quoque debet imperium, quod ex quid? ecclesia posita, poni quoque debet imperium, quod ex quid? ecclesia oritur; quod est ius membrorum ecclesiae actiones dirigendi, ut fini ecclesiae satisfaciant, & hoc generali nomine dicitur *potestas ecclesiastica*. Vid. Illustr. PRAESES syst. iur. nat. Tom. II. §. 624.

Quod nomen huius imperii inter se non conuenient Doctores. Alii enim id *ius circa sacra*, alii *imperium ecclesiasticum* & alii *ius episcopale* dicunt. Sed terminus *potestas ecclesiastica* mihi se optime commendauit, quoniam illum magis ideae, quam significat, conuenire censeo. Ceteros vero terminos, quibus alii vti placet, omnino non uno virio laborare in aprico est. *Ius enim circa sacra* plerumque sumitur pro parte imperii ciuilis, quod versatur circa sacra externa; & si istum terminum pro significando imperio, quod ex ecclesia tamquam peculiari & a republica diuera societate oritur, adhiberem, terminorum ambiguitati sine dubio deditus essem. *Imperium autem ecclesiasticum* cum nostro termino, quo vis sumus, quam maxime quidem conuenit, ast hic terminus nimis generalis est. Denique plurimus Iureconsultis & Theologis praeteriti seculi arridet quidem nomen *iuris episcopalis* ast & hoc neutiquam dimittere possum. Omnibus dupondis enim notum, *ius episcopale* imperium indicare, quod hierarchiam supponit, sieque terminus hic nimis specialis est, nec omnibus ecclesiis, praesertim protestantium ecclesiae, non conuenit, quod more suo, id est solide, docuit *Canonistarum* huius aevi princeps ICtus Consummatissimus Illustr. Joan. Georg. PERTSCH Praecceptor, cuius memoriam nulla umquam aetas apud me delabit, in Eem. iur. Can. Part. I. §. 86.

§. IV.

§. IV.

De iure superioris competit ius praecauendi, ne per religionis cultum salus & securitas publica turbur. Superiori enim ca religionis competit ius de omnibus disponendi, quae respectum ad cultum in rempublicam habent (§. II.). Er. etiam ius praecanendi, ne salus & securitas reipublicae turbetur. Iam vero pone, religionis cultum turbare salutem & securitatem publicam, & pone, superiori non competere ius illud prohibendi, tunc ei non competenter ius de iis disponendi, quae respectum habent ad rempublicam (§. II.) per consequens nec imperium (§. I.). Quod quum sit absurdum, vera est propositio.

§. V.

Sacra externa & interna definiri. *Quaecumque religionem concernunt generali nomine sacra audiunt, & vel solo tantum intellectu suscipiuntur, vel etiam per corporis motus: si prius, sunt sacra interna; si vero posterius, sacra externa.*

§. VI.

Quatenus sacra substantia competit imperio ciuili. *Sacra interna non, sacra externa vero omnino subsunt imperio ciuili, ast non nisi eatenus quatenus respectum habent ad rempublicam.* Sacra interna enim solo intellectu suscipiuntur (§. V.), intellectus vero cum cogi nequeat (per princ. metaph.), nec sacra interna imperio ciuili subesse possunt. *Quod erat primum.*

Ast sacra externa suscipiuntur per corporis motus, adeoque per actiones externas & prout hae actiones ita potius quam aliter diriguntur, salutem reipublicae vel promoueri, vel turbari posse, nemo in dubium vocabit. Cum itaque superiori competit ius praecauendi ne per religionis cultum salus publica turberetur (§. IV.), quod sacra externa eatenus, quatenus respectum habent ad rempublicam,

publicam, imperio ciuili subsint, dubio caret. *Quod erat secundum.*

§. VII.

Quum, si externa sacra subsunt imperio ciuili, necesse species imperii ciuile etiam versari circa sacra; inde oritur perii sacri noua imperii sacra respicientis species, quae dixerat est declaratur. potestate ecclesiastica §. III. definita, nimirum id imperium sacra respiciens, quod est imperii ciuilis pars, quum potestas ecclesiastica non sit imperii ciuilis pars, sed potius species imperii priuati, cuius conspecies sunt reliqua imperia priuata, quae ex aliis societatisbus, praeter ecclesiam, oriuntur. Ut vero hoc imperium re ipsa diuersum a potestate ecclesiastica, etiam per diuersum nomen ab ea distinguitur, liceat illud *imperium ciuale sacrum* appellare. Hoc imperium ciuale sacrum autem vel respicit ipsa sacra externa, vel non: si prius, *imperium in sacra*; si posteriorius, *imperium circa sacra* appellari potest. Imperium circa sacra vero vel est ius determinandi an & quomodo religio quaedam in territorio exercenda, seu, quod idem est, ius determinandi tolerantiam religionem, vel non; si prius, habemus notionem *iuris reformati*.

§. VIII.

Prout quaelibet societas dicitur *aequalis*, si imperium variae ecclesie penes omnia membra simul sumta est, & *inaequalis*, si hoc imperium vni vel nonnullis ex societate competit: siones ex ita ecclesia tum est societas aequalis, si potestas ecclesiastica plicantur. penes omnia membra ecclesiae simul sumta est, inaequalis vero, si ea vni aut nonnullis ex ecclesia competit. Si militer etiam, prout societas dicitur *libera*, si extranei imperio non subiecta, non libera vero, si extranei imperio subiecta est: ita ecclesia tum libera est, si extranei imperio

B

non-

non subiecta, non libera vero, si extranei imperio subiecta. Ecclesia ipsa vero vel est ecclesia *particularis*, quae in loco quodam particulari est, veluti in vna republica, in vna urbe &c. vel *vniuersa ecclesia*, qnam constituant omnes eodem modo Deum colentes, per quaecumque terrarum loca fuerint dispersi. *Vid. Per Illustr. L. B. de WOLFE. ius nat. Part 8. cap. 3. §. 484.*

§. IX.

Quando ec-
clesia sit so-
cietas aequa
lis & libera.

Quando translatio potestatis ecclesiasticae ab ecclesia nondum facta, ea est societas aequalis. Etsi vero possit etiam in hoc statu libera societas esse, tamen non semper talis est. Ecclesia enim tum est societas aequalis, si eius imperium nondum translatum (§. VIII), iam vero in hac hypothesi potestatem ecclesiasticam non transtulit, est ergo adhuc societas aequalis. Quod erat primum.

Ecclesia porro, quae non subest extranei imperio, est libera societas, & non libera, si extranei imperio est subiecta (§. praec.). Iam vero pone ecclesiam, quae est societas aequalis, hoc posito nondum sequitur eam imperio extranei subesse, licet nec repugnet eam imperio extranei subiectam esse. Er. manifestum est, ecclesiam, quae est societas aequalis, posse etiam esse societatem liberam & non liberam. *Quod erat secundum.*

Totum hoc theorema potest applicari ad ecclesiam *vniuersam* & *particularem*. Si enim ecclesia *particularis* potestatem ecclesiasticam in aliquem transtulit, est societas inaequalis; si vero ecclesia *vniuersa* in statu suo originario permansit, non evadit societas inaequalis (§. VIII.). Idem etiam affirmandum est, si ecclesiam spectamus tamquam societatem liberam & non liberam, nimirum *Si particularis ecclesia imperio extranei parer ecclesia vniuersa vero extranei imperio non subiecta; particularis est societas non libera, vniuersa vero societas libera, non vero vice versa.*

§. X.

§. X.

Si ecclesia in republica subsistit, Superiori in eam cum De iuribus petunt ea iura, quae ei in reliquas societas in republica superioris subsistentes competit; nisi per pactum aliter conuentum esse probari possit. Plura iura vero ei qua tali quidem non competunt, ast tamen potest sibi plura iura in eam acquirere. Est enim ecclesia societas (§. III.), quicquid itaque valet de reliquis societatis, valere etiam debet de ecclesia, nisi per pactum aliter conuentum esse probari possit; hincque iura, quae in reliquas societas in republica subsistentes superiori competit, ei etiam in ecclesiam in republica subsistentem competere debent, nisi per pactum aliter conuentum esse probari possit. Quod erat primum.

Cum vero superior qua talis non nisi ea iura habeat, quam quae fluunt ex eius imperio ciuili, & ex eo plura iura in ecclesiam, quam in genere in reliquas societas in republica subsistentes haber, fluere nequeant, ast tamen ius quod non fluit ex imperio suo superior sibi alio modo acquirere possit: *superior quidem, qua talis, plura iura in ecclesiam in republica subsistentem non habet, quam ei in reliquas societas in republica subsistentes competunt, ast tamen plura sibi acquirere potest. Quod erat secundum.*

Iura, quae superiori qua tali secundum principia iuris publici vniuersalis in societas competunt, sunt suprema inspectio, ius collectandi, dominium eminent & quae sunt reliqua, prout Praeceptor minus sine admiratione nominandus illis est. Un. PRAES. more suo consueto i. e. solide loc. cit. Tom. II. §. 835 seqq. & 858. docuit. Conf. etiam Consultissimus Un. WIESENHAVERN in Dissertatione de iure maiestatis sacerorum dirigendorum §. 14.

§. XI.

Si ecclesia in republica subsistit, potestas ecclesiastica est An potestas subordinata imperio ciuili sacro superioris; nisi per pactum ecclesiastica B 2 ali. sit subordi-

~~sata imperio ciuilis~~ aliter conuentum esse probari possit. Competunt enim superiori republicae in ecclesiastica in republica subsistentem omnia iura, quae ei in reliquias societates in republica subsistens competunt, nisi per pactum aliter conuentum esse probari possit (§. praece.). At enim vero omnium societatum in republica subsistentium imperium priuatum subordinarum est imperio ciuili superioris, nisi per pactum aliter conuentum esse probari possit (per princ. iur. nat.), & potestas ecclesiastica est imperium ecclesiae priuatum (§. III.), ergo vera est propositio demonstranda.

§. XII.

De translatione potestate. Ex principiis iuris naturalis manifestum est, ab eius, qui ius quoddam transfert, arbitrio dependere, quomodo & in quem ius suum transferre velit; per consequens etiam ab ecclesiae arbitrio dependet, quomodo & in quem potestatem ecclesiasticam transferre velit; adeoque etiam ab illa, si in republica subsistit ut societas aequalis, dependet, an eam in superiorem reipublicae seu principem transferre velit, an vero in alium.

§. XIII.

In specie. Si itaque ecclesia in republica tanquam societas aequalis subsistens, imperium suum transfert, in superiorem reipublicae, superior reipublicae, qui iam qua talis imperium ciuile sacrum (§. VI. & VII.) habet, praeterea adhuc acquirit potestatem ecclesiasticam, quae nunc, translatione hac facta, imperio ciuili sacro coexistere incipit, ita ut, quum a populo qua tali per translationem totius imperii ciuilis imperium ciuile sacrum iam habeat, iam praeter hoc imperium ciuile sacrum, per delationem ab ecclesia qua tali factam, etiam alteram imperii sacri speciem, potestatem nimurum ecclesiasticam, acquirat. Quum vero tam haec

haec potestas ecclesiastica, quae nunc apud superiorem reipublicae est, quam etiam imperium ciuale sacrum, varia specialia iura sub se contineant, singula iura, quae vi potestatis ecclesiasticae, ab ecclesia in superiorem reipublicae translatae, ei competunt, dicantur *iura sacra superioris reipublicae*, seu, ut aiunt, *principis collegialis*; singula eius iura vero, quae ex imperio ciuali sacro fluunt, dicuntur *iura sacra superioris reipublicae*, seu *principis maiestatica*; haecque sunt vel *iura maiestatica in sacra*, vel *iura maiestatica circa sacra*, prout vel ex imperio ciuali in sacra, vel ex imperio ciuali circa sacra (§. VII.) fluunt. Si vero potestas ecclesiastica ab ecclesia in republica subsistente non in superiore reipublicae, sed in alium translata, ecclesia accipit superiorem, cui priuatiue singula iura in ecclesiastica potestate contenta competit. Talis vero superior a superiore reipublicae vel acquirit partem imperii civilis quae respicit ipsa sacra externa, vel non. Si prius, ipsa ecclesia *bierarchia*; superior *hierarcha*, & ipsum hoc imperium *hierarchicum imperium* appellatur.

§. XIV.

Quamquam ecclesia in republica subsistens sit hierarchia, tamen ideo superior reipublicae nondum exclusus ab omni imperio sacro, sed potius ei adhuc competit pars illa imperii civilis sacri, quam imperium circa sacra appellamus. De conditione hierarchy in republica subsistentis.

Si enim ecclesia sit hierarchy, superior hierarchy adquirit tantum partem imperii civilis sacri, eam scilicet, quae sacra ipsa externa respicit, hoc est, imperium in sacra (§. praec.), sive non totum imperium ciuale sacrum quippe quod etiam imperium circa sacra sub se continet (§. VII.). Quae cum ita sint, licet ecclesia in republica subsistens sit hierarchy, superior reipublicae civilis tamen non

non plane exclusus est ab omni imperio sacro, sed potius ei adhuc competit imperium ciuile circa sacra.

Idem ultius expen-
ditur.

Si ecclesia est hierarchia, cessat imperium in sacra superioris reipublicae ciuilis. Si enim ecclesia est hierarchia, hierarchiae competit imperii ciuilis ea pars, quae versatur circa ipsa sacra externa (§. XIII.), adeoque imperium in sacra (§. VII.), per consequens cessat in hac hypothesi imperium in sacra superioris reipublicae ciuilis.

Aliter quidem imperium in sacra cum potestate ecclesiastica coniungi posse nemo negabit, qui originem omnis imperii ciuilis perpendit; nimur fieri potest, eos, qui rem publicam constitue-re volunt, statim ab initio imperium ciuale sacrum ab imperio re-liquo ciuili seiuengere, & in alium priuatius transferre, sed hic casus me hic non tangit.

*Quid hie-
rarcha con-
tra superio-
rem proba-
re debeat.*

Si ecclesia degenerat in hierarchiam, hierarcha legitimam imperii ciulis in sacra acquisitionem a superiori reipublicae factam probare debet. Nam, si ecclesia degenerat in hierarchiam, superior reipublicae amittit imperium in sacra (§. praec.), quod facti esse nemo non vider. Aut, quae facti sunt, non prae sumuntur, sed ab allegante probanda sunt. Ergo nullum dubium est, si ecclesia in hierarchiam degenerat, legitimam sacri imperii acquisitionem, a superiori reipublicae factam, probandam esse.

Et sic ex hoc theoremate potest dijudicari, quatenus imperium hierarchicum, cuius species est imperium papale ecclesiae pontificiae secundum principia iuris naturalis possit concipi. Omnia enim notum est, fere omnes 1Cros pro aris & focis contendere, omnem hierarchiam contradicere ratione, sed hanc quaestione admodum esse ambiguam, quilibet prae iudicis non occasus conceder. Si enim intelligunt imperium papale pontificis

Ro-

Romani, omnino largior, hoc imperium secundum iuris naturalis principia cogitari non posse, quia extra omnem controversiam potestum est, pontificem Romanum exercere imperium in conscientias, & iure sole meridiano clarissimus est, hoc primis rotius cognitiōnis humanae principiis contradicere. Si vero queritur, an in se hierarchia possibilis sit? omnino hoc concedendum esse censeo. Nam primo possibile est ecclesiam potestatem ecclesiasticam, quae ex ea, tamquam ex societate, oritur, in aliquem, qui non est superior reipublicae ciuilis, transferre (§. XII.). Secundo etiam fieri potest, imperium ciuile sacrum a reliquo imperio ciuili separari, quia non obstante hacce separatione, finis reipublicae obtineri potest. Auro cedroque digna sunt, quae de hac re Per-Illustris L. B. de wOLFF. in iure naturae Parte VIII. cap. 1. §. 65. & cap. 4. §. 955. in scholis his §§. subiectis docet. Quum vero hoc iuris naturae opus non in omnium manibus veretur, liceat ipsis verbis Per-Illustris Dn. Cancellarii, quae dicta sunt, corroborare. Ait vero in scholio ad §. 65., quum in theoremate praecedente diuisionem summi imperii demonstrauerat: *Ita in republi- ca Hebraeorum non minus ius Pontificia maximi circa sacra, quam ius regis circa profana sumnum erat, ita ut neutri competenter ius in actus aletrius, eos scilicet, qui ad exercitium iuris sui perirebant.* Sunt equidem, qui absurdum dicunt duplex sumnum imperium in eadem ciuitate; sed eur absurdum sit, nulla ratione solida cuincunt. Sane absurdum minime reputant, ut populus quaedam iura ad imperium spectantia sibi retineat, in quibus dependere non vult a rectoris voluntate. Nonne vero perinde est siue ius sibi reservatum exerceat per se, siue idem transferat in alium, ut idem exerceat prout sibi videtur? Ex eo, quod corpus humanum sit monstrorum, si duobea beat capita, minime sequitur, rempublicam fore monstrorum, in quo duo existunt imperia summa. Absurditas demum probata intelligitur, si demonstratum fuerit, imperio summo diuisio finem ciuitatis obtineri minime posse, seu ex hac diuisione sequi, quae eidem et diametro repugnant. In schol. ad §. 955. autem inquit: *Qui absurdum putant ius circa sacra separatum ab imperio ciuili esse, quasi resp. in republ. singatur, iudicium omnino praecepit.* nee absurditatem demonstrare valent. Sane in republica Hebraeorum ius circa

*circa sacra' erat penes Pontificem maximum, imperium civile penes regem, & eterne*ius* suum habebat pleno iure ac independenter ab a.i.o. Equis vero dixerit hoc institutum fuisse absurdum, etiam si seponas, quod fuerit datum? Relegenda sunt, quae supra (animorum §. 65. in verbis iam excitatis) de auctoritate sanctorum imperii in partes potentiales adnotauimus.*

Quando sa-
lus eccles. &
reipubl. col-
lidere dica-
tur.

§. XVII.

*Salus reipublicae & ecclesiae tum collidere dicitur, si
veraque simul amplius promoueri nequit.*

§. XVIII.

*De excepti-
one in hac
collisione
facienda.* *Si salus reipublicae cum salute ecclesiae est in collisione,
salus reipublicae praeferenda est saluti ecclesiae. Si enim sa-
lus reipublicae cum salute ecclesiae est in collisione, utrius-
que salus simul amplius promoueri nequit (§. praec.), &
in collisione exceptio ita facienda, ut maior perfectio ob-
tineatur (per princ. iur. nat.). Iam vero, cum omnes so-
cierates, sive & ecclesiae, fini reipublicae sint subordi-
natae maior perfectio obtinetur, si salus reipublicae in hac
collisione praefertur. Ergo salus reipublicae in collisione
cum salute ecclesiae est praeferenda.*

*Sive enim sit ecclesia adhuc societas aequalis in republica,
sive inaequalis, & si hoc sive hierarchia sit, sive non, perinde
est quoad demonstrationem huius theorematis. Nam si adhuc
est societas aequalis, in statu suo originario, in quo omnis eccle-
sia originerentur fuit, permanit, & itaque haec societas, prout
reliquae societates, imperio civili est subordinata. Et sic nullum
dubium est, quod salus reipublicae sit praeferenda. Si vero est
hierarchia, multis quidem argumentis pro & contra disputatione pos-
se videatur, sed, si depositis praecidicis tota haec controversia di-
judicanda, omnia bene cohaerent. Nimisrum, si oritur hierar-
chia, imperium civile in sacra a reliquo imperio civili separatur,*

&

& potestati ecclesiasticae accrescit (§. XIII.). Imperium ciuale in sacra vero est tantum pars imperii civilis sacri (§. VII.). Quam ob rem, quum in hoc casu imperium circa sacra & omne reliquum imperium ciuale penes superiorē reipublicae sit, non infasto sidere applicandum erit illud decantatissimum: *pereat pars, ne pereat totum.* Voicūm hic monere fas est; non veremur pontificiorum obiectiones, qui sibi persuadent, imperium papale originem debere iuri diuino, hinc secundum suas hypotheses ratiocinari possent, rempublicam diuinam esse praferendam rebus publicis humanis, adeoque si salus ecclesiae, tamquam reipublicae separate, cum reipublicae civilis salute esset in collisione, exceptionem potius in illius fauorem esse faciendam. Verum enim vero, an imperium papale sit iuris diuinī? hic non curamus, sed potius Theologis relinquimus, a Iquibus caeteroquin vna cum Iureconfultis, quorum merita in orbem literarum numquam peritura sunt, contrarium huius adserti argumentis sat indubbiis evictum est, & sufficit hic etiasse *Icti celebratissimi Illustr. SERTSCHII scripta iur. Ecclesiastici.*

C A P. II.

D E

IMPERII SACRI STATVVM PROTESTANTIVM I. R. G. NATVRA ATQVE INDOLE IN SPECIE, SECUNDVM LEGES FVNDAMENTALES I. R. G.

§. XIX.

Cum ex iis, quae de imperio sacro secundum leges Connexiones naturales in Cap. praec. dicta sunt, patet, in quo statu ecclesia in republica subsistens & imperium sacrum esse possint: iam ante omnia praemittendum, in quo statu ecclesiastico

C

ia

18 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

sia christiana germanica in Imp. R. G. subsistens olim fuerit
~~&~~ hodie sit, ut tum, inoffenso p^{re}de, ad explicandam
naturam & indolem imperii sacri statuum protestantium
secundum LL. fundamentales Imp. R. G. me conuertere
possim.

§. XX.

Lemma hi- Fuisse vero olim totam ecclesiam christianam imperio
storicum de sacro regum & imperatorum christianorum subiectam, id-
fatis impe- que imperium sacrum non solum totum imperium ciuile
rii sacri in sacram (§. VII.), sed & ipsam potestatem ecclesiasticam
Germania (§. III.) sub se comprehendisse, sive tam iura sacra maie-
statica (§. XIII.), quam etiam collegialia (§. cit.), reges
& imperatores exercuisse, tam notum est quam quod no-
tissimum. Ast successu temporis insignem mutationem
factam esse, clero sibi vindicante a) ipsam potestatem ec-
clesiasticam, sive iura sacra collegialia; b) imperii ciuili-
lis sacri partem, quam imperium ciuale in sacra adpello
(§. VII.), sive iura maiestatica in sacra (§. XIII.) si non
omnia, tamen praecipua, ita, ut non nisi paucae reli-
quia huius ciuilis sacri imperii cum toto imperio ciuali
circa sacra (§. VII.) sive iuribus *circa* sacra maiestaticis
omnibus (§. XIII.) penes superiorem I. R. G. remanserint:
hocque imperium sacrum clerum a) ultra limites, quos
sacro imperio ponunt leges naturales, extendisse, illud-
que b) inter clerum diuisum esse, ita, ut unus ex illis,
episcopus nimurum romanus, in vniuersam ecclesiam chris-
tianam, sive etiam in ecclesiam christianam particula-
rem germanicam, hoc imperium sacrum, tamquam sum-
mum & independens imperium, acquisiuenterit, & reliquo-
rum episcoporum sacrum imperium ad ecclesias particu-
lares dioceceseos restrictum, eique subordinatum & de-
pen-

pendens ab eo factum esse, interque ipsos Episcopos variis subordinationes inualuisse, itidem, historia teste, extra omnem dubitationis aleam positum est. Ast subsistente in hoc statu ecclesia christiana vniuersa, & in specie germanica, ipsius religionis christiana reformationem subsecutam esse, eamque ecclesiæ nouam ortam esse ecclesiæ christianæ, ecclesiæ protestantium dictam, cuius pars est ecclesia protestantium germanica, hancque ecclesiæ protestantium germanicam per pacem religiosam & Westphalicam tandem pro orthodoxa & in I. R. G. praeter ecclesiæ antiquam pontificiam, toleranda, declaratam esse, nemo est qui nescit, nemo qui negat.

Lemma historicum hanc propositionem sistere quilibet, vel me non monente, statim videt. Hinc tantum abest, ut mili vitio vertendum sit, quod eam, nella adiecta demonstratione historica, tamquam veram adsumam, ut petius tum peccarem, limites inter Ius publ. & historiam turbando, si adiicerem demonstrationem. Vt taceam hanc demonstrationem, si vbiique secundum regulas artis condenda, peculiarem tractationem requirere. Conf. tamen OTTO de Iure imperatorio & statuum imperii circa sacra. HENNIGES de summa imperatoris potestate circa sacra. FELZ delibata Iuris publ. de fatis Iuris circa sacra in I. R. G.

§. XXI.

Ante ortum ecclesiæ protestantium germanicae tota De conditione ecclesia christiana germanica fuit hierarchia, & iam extinta. Ecclesia & imperii sacri ante ortum eccles. protest. erat imperium sacrum superioris I. R. G. praeter ea iura, quae secundum (§. praec.) apud eum remanerunt. Iam ante ortum ecclesiæ protestantium germanicae enim clerus sibi vindicauit, praeter iura collegalia, etiam quoad maximam partem iura maiestatica in sacra (§. praeced.). At enim vero ecclesia, quae in hoc statu est, dicitur hierarchia (§. XIII.), ergo ante ortum ecclesiæ protestant.

20 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

testantium germanicae tota ecclesia christiana germanica fuit hierarchia, &, cum id imderium sacrum, quod clerus sibi vindicauit ante ortum ecclesiae protestantium, superiori I. R. G. subductum (§. praec.), nec probari potest unquam reseruatum esse superiori I. R. G. regressum: quod imperium sacrum superioris Imp. R. G. praeter ea iura, quae secundum §. praec. apud eum remanserunt, extintum sit, dubio caret.

§. XXII.

Et post eius ortum. Post ortum ecclesiae protestantium germanicae imperium sacrum hierarchicum ecclesiae pontificiae quod per Pontificem & Episcopos exercetur, per pacem Westphalicam non ita extinctum, ut viuenda ecclesia protestantium germanica ab omni imperio hierarchico liberata sit: sed potius illud tantum a) quoad ea ecclesiae protestantium membra, quae sunt vel a) domini territorialis euangelici, vel b) dominorum territorialium evangelicorum subditi euangelici, suspensum, & quidem, viuendo casu excepto, in totum, usque ad compositionem christianam dissidii religionis; cum b) quoad ea ecclesiae protestantium germanicae membra, quae sunt subditi dominorum territorialium catholicorum, non in totum suspensum sit. Sancitum enim in instr. Pac. Osnab. artic. 5. §. 48. *Ius dioecesani & tota iurisdictio ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra A. C. Electores, Principes, Status, comprehensa libera imperii nobilitate, eorumque subditos, tam inter Catholicos & A. C. addictos, quam inter ipsos solos A. C. status usque ad compositionem christianam dissidii religionis suspensa esto. & intra terminos territorii cuiusque ius dioecesani & iurisdictio ecclesiastica se continueat.* Ad conueniendos tamen reditus, census, decimas & pensiones in iis A. C. statuum ditionibus,

bus, ubi catholici 1624. notorie in possessione vel quasi exercitu iurisdictionis ecclesiast. fuerunt, ut autem eadem posthac quoque sed non nisi in exigendis hisce pensionibus, nec procedatur ad excommunicationem nisi post tertiam demum denunciationem Catholcorum A. C addicti Status provinciales & subditi qui anno 1624 ecclesiasticam Iurisdictionem agnouerunt, in i's casibus modo dictae iurisdictioni subsint, qui agustanam confessionem nullatenus concernunt, modo ipsis occasione processus nihil iniungatur A. C vel conscientiae repugnans. Eodem etiam iure A. C magistratuum catholicorum subditi censeantur; inque hos, qui anno 1624 publicum religionis catholicae exercitium habuerunt, ius dioecesanum, quatenus Episcopi illud dicto anno quiete in eos exercuerunt, satuum esto. Ut vero pateat hunc textum probare, quae probanda sunt, eius verus sensus est eruendus. Quod ut ex voto succedat, breuis analysis logica huius textus est praemittenda. Loquitur totus hic textus de iure dioecesano & iurisdictione ecclesiastica episcopi catholicorum, & omnia praedicata huius subiecti eo redunt, ut determinetur, quatenus utrumque hoc ius, quod quilibet episcopus in sua dioecesi ante orum dissidium religionis exercuerat, imposterum exercendum sit. Cum vero hoc diuerso modo determinandum erat, pro trium casuum diuersitate, hi tres casus a se inuicem distinguuntur. Casus primus est praecipuus, & in eo agitur de iure dioecesano & iurisdictione ecclesiastica cum omnibus suis speciesbus episcopi catholicorum in sua dioecesi, in relatione ad A. C. dominos territoriales eorumque subditos euangelicos, quorsum pertinent verba: *Ius dioecesanum -- denunciationem.*

Secundus casus agit de iurisdictione ecclesiastica episcopi in relatione ad dominos territoriales catholicos in genere,

22 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

nere, siue sint laici, siue clerici, eorumque subditos euangelicos, in verbis: *Catholicorum -- repugnans.*

Tertius casus concernit tam iurisdictionem ecclesiasticam, quam etiam ius dioecesianum episcopi dioecesenos in relatione ad dominum territoriale euangelicum & subditos catholicos, eumque fistunt verba: *Eodem etiam -- saluum esto.*

Mirto casum tertium, quippe de quo in propositione demonstranda non loquor, siveque vterior analysis ad casum primum & secundum tantum dirigenda.

Continent vero verba casum primum respicientia
a) regulam, in verbis: *Ius dioecesanum -- se contineat,*
b) exceptionem, in verbis: *ad consequendos -- denunciationem.* Verba quae regulam fistunt, continent propositionem duplicem. En primam.

Ius dioecesanum &c. suspensa esto.

En secundam:

Ius dioecesanum & iurisdictio ecclesiastica intra terminos territorii cuiusque se contineat.

Quod vero attinet verba, quae casum secundum continent decisum, nonnis vnica propositio & quidem haec:

Catholicorum A. C. addicti status provinciales & subditi, qui anno 1624. ecclesiasticam iurisdictionem agnoverunt, in iis casibus modo dictae iurisdictioni subsint, qui A. C. nullatenus concernunt.

quae per adiectam limitationem:

modo ipsis occasione processus nihil innngatur A. C. vel conscientiae repugnans,
vterius determinata, in iis obvia est.

Hac

Hac breui analysi huius textus praemissa, facile patet, eum probare propositionem probandam. Cum vero ea duplicum propositionem contineat, quarum altera & quidem prior, negativa, altera vero, & quidem posterior, adfirmativa est, de qualibet sigillatim agendum, & quidem de posteriori, quae affirmativa est, initium faciendo; cumque haec duo membra contineat, ea itidem in probatione distinguenda. Primum adfirmatiuae propositionis membrum itaque quod attinet, ipsa verba textus probant, ius dioecesanum & totam iurisdictionem ecclesiasticam, sicut etiam imperium hierarchicum, quatenus illud habent episcopi, usque ad amicabilem compositionem dissidiij religionis, suspensum esse contra A. C. dominos territoriales. Ast quod haec suspensio a) ad alteram extendenda sit hierarchici imperii speciem, imperium sacrum nempe ipsius Pontificis romani, quodque b) restringenda ad eos subditos A. C. dominorum territorialium, qui sunt euangelici, ipsa verba quidem non probant, sed tamen per rectam eorum interpretationem probari potest. Licer enim, quod attinet extensionem, non valeat argumentum a suspenso imperio sacro episcopali, ad suspensum imperium sacrum papale: nec, verba pacis: *cum omnibus suis speciebus*, imperium papale sub se comprehendere, satis certum sit: ita tamen recte argumentari posse confido: si imperium sacrum episcopi suspensum, & ii, quorum intuitu haec suspensio facta, imperio sacro papali immediate non sunt subjecti, tum omne imperium hierarchicum suspensum. Atqui verum est prius, ergo & posterius. Quod vero attinet restrictionem huius suspensionis, ratione subditorum, ad subditos euangelicos, videtur quidem eam claris verbis textus manifesto contradicere, cum textus generaliter dicat; *eorumque subditos*,

&

24 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

& lege non distingue, nec nostrum sit distinguere. Ast salua res est. Licet enim lex expressis verbis hic non distingueat, tacite tamen distinguit inter subditos catholicos & euangelicos, id quod ex sequentibus verbis patet, in quibus casus tertius proponitur, & quo iure censendi sint A. C. magistratum catholici subditi determinatur, manifesto indicio, verba casum primum sistentia, quo ad subditos A. C. magistratum restringenda esse ad eorum subditos euangelicos, licet expressis verbis hanc restrictionem non exprimant. Accedit quod, si haec restrictione non admitteretur, contradicatio adesset, dum neminem negaturum esse credam, contradicere sibi, omne imperium sacrum Episcopi catholici quoad dominorum territorialium protestantium subditos omnes esse suspensum, & tamen catholicos subditos, si anno 1624. ecclesiasticae jurisdictionem agnouerunt, eam imposterum agnoscerere debere, &, si in dicto anno publicum religionis catholicae exercitium habuerunt, episcoporum ius dioecesanum, quatenus illud exercuerunt, saluum esse debere. Quae cum ita sint, abunde constare credo, de veritate primi membra propositionis affirmatiuae, quod nimurum imperium hierarchicum Pontificis & episcoporum ecclesiae catholicae, quoad D. T. euangelicos ipsos, eorumque subditos euangelicos, in totum, excepto unico casu, quem sunt verba: *ad consequendos tamen &c.* sit suspensum. Progredior itaque ad membrum secundum propositionis affirmatiuae, quod nimurum quoad ea ecclesiae protestantium germanicae membra, quae sunt subditi D. T. catholicorum, sive clericorum, sive laicorum, non in totum sit suspensum imperium hierarchicum ecclesiae pontificiae, de cuius veritate ipsa verba textus: *Catholicorum A. C. addicti status provinciales & subditi &c.* me convin-

vincunt, cum in his verbis in certo casu iurisdictio ecclesiastica, quae pars imperii sacri episcopi catholici est, sit ei referuata. Sic itaque demonstrata tota propositione affirmatiua, inde per se fluit propositio negatiua, quod nimirum per pacem Westphalicam imperium sacrum hierarchicum, quod in ecclesia pontificia per pontificem & episcopos exercetur, non ita sit extinctum, ut vniuersa ecclesia protestantium germanica ab hoc imperio penitus liberata sit. Est enim hoc ius tantum suspensum, & euangelici subditi catohlici D. T. adhuc in certo casu episcopi catholici iurisdictioni ecclesiasticae sunt subiecti (per demonstrata). At enim vero, ius tantum suspensum non est extinctum, & si dantur ecclesiae protestantium membra, quae adhuc agnoscere debent iurisdictionem ecclesiasticae episcopi catholici, non vniuersa ecclesia protestantium germanica ab imperio hierarchico ecclesiae pontificiae penitus est liberata.

Scio alios in omnia alia hic abire, & non solum hunc textum aliter resoluere, sed & mecum quoad interpretationem non consentire, inter quos praesertim nominandus est auctor anonymus in libello sub titulo: *Analysis s. j. ius dioecesanum &c. nec non in quibus cinitatibus &c. Art. 5. Instr. P. W. institu. a. a. I.F.B. W.* quem **JACOBVM FRIDERICVM BAADERVM** Wirtenbergen-sers esse, probabiliter coniicio. Cum vero breuitatis studium non permittat hoc longum iter ingredi, aliorumque opiniones allegare & sub examen vocare; sufficiat me, meas rationes, cur ita potius quam aliter sentiam, in ipso textu iam allegasse.

§. XXIII.

Ecclesia protestantium germanica per subductionem ex De separata parte in totum, ex parte in tantum, factam, se separauit ab actione eccl. D eccl. protest. ab

26 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

*ecc' leſ. pon- ecclesia pontificia, eaque subductio secundum leges natura-
tis ſia eius leſ iusta eſt.* Eccleſiam germanicam protestantium fuſſe
que iuſtitia olim eccleſiae pontificiae partem, ſicque imperio hierar-
chio huius eccleſiae ſubiectam fuſſe, nemo eſt qui ne-
ſcit, nemo qui negat. Quoad eam vero ex poſt facto im-
perium hierarchicum eccleſiae pontificiae ex parte in to-
tum, ex parte in tantum ſuſpēſam eſſe, in §. praec. de-
monſtratum. At enim vero, ſi pars ſubiectorum ab im-
perio eius, cui haec teuſ ſubiecti fuerunt, ſe eximit, fit
subductio, a dethroniſatione diſtinguenda (ill. Dn. PRAES.
in Syst. iur. nat. Tom II. §. 910.) & ſubductio facta ſe-
parationem eo iplo fieri per le patet: eccleſia protestan-
tium germanica per ſubductionem ex parte in totum, ex
parte in tantum, factam, ſe ſeparauit ab eccleſia pontifi-
cia. *Quod erat priuim.*

Et vero ſecundum LL. naturales ſubductio toties
iusta, quoties ſuperior eſt tyrranus, & in tyrranideſi
ſacram degeneraſſe hierarchiam papalem vel inde patet,
quod imperium in conſientias ſibi ſumferit: ergo ſubdu-
ctio eccleſiae protestantium ſecundum LL. naturales iusta
eſt. *Quod erat ſecundum.*

Si itaque haec ſubductio iam iusta eſt ſecundum LL. natu-
rales, quidni iusta eſſet ſecundum principia christianismi?

§. XXIV.

*Imperator & ſtatis catholicī in pace Westph. eccleſiae
protestantium germanicae ſuſpēſionem imperii hierarchici
promittentes, iuste egerunt.* Tempore belli tricerinalis
ſalutem imp. R. G. & in ea ſubſiſtentis eccleſiae pontifi-
ciae in collisione fuſſe, nec aliter hoc bellum componi
potuiffe, pacemque I. R. G. reddi, quam ſuſpendendo
ad minimum eatenus, quatenuſ in I. P. W. factum, im-
perium

Promissio
ſuſpēſio-
nis ab im-
peratore &
ſaribus fa-
cta nomi-
nata
iusta.

*lōoſe encl
da. ſeſorū*

perium hierニックum ecclesiae pontificiae, ex historia sa-
tis constat. Imperator itaque & status catholici, in his
angustis suspensionem imperii hierニックi, quoad eccl-
esiā protestantium germanicam, promittentes, in colli-
sione salutem I. R. G. saluti ecclesiae pontificiae germanicae
praetulerunt, & sic, cum hoc legibus conueniat (§. XVIII.),
iuste egerunt.

§. XXV.

Pontifex per protestationes contra pacem Westphal. in De effectu
terpositas, ius suum contra suspensionem in hac pace factam protestatio-
non conseruauit. Suspensio haec enim iusta est (per §. num. ponti-
fice, contra P. W.
praec.), sicutque ius quod habuit Pontifex, & per pacem
Westph. amissum, iuste amisit. At enim vero ius, quod
iuste amissum, per protestationem conseruari nequit, er-
go patet verum esse quod erat demonstrandum.

Pontifici quidem obiectum non posse iniiri in praei-
dictum tertii, & subsumunt pacem W. in praediudicium hierar-
chici imperii Pontificis conclusam, adeoque illam esse pactum il-
legitimum. Verum enim vero concedimus nullum pactum iniiri
posse in praediudicium tertii, sed negamus hanc pacem fuisse con-
clusam in praediudicium ecclesiae pontificiae. Nam demonstra-
rum est ecclesiam protestantium se iuste separasse ab ecclesia pon-
tifica, adeoque nullum ius pontificis fuisse hanc separationem im-
pediendo, ergo etiam, non obstante obiectione pontificiorum, ve-
rum est theorema.

§. XXVI.

Imperium sacrum, quod olim penes Imperatorem fuit, De reuiui-
priusquam id clerici acquisuerunt, per suspensionem impe- scientia im-
patri hierニックi non reuiuiscit. Ius enim quod reuiuiscere perii sacri
debet, supponit, ei adhuc ipsum ius competere, in quo quod olim
reuiuiscere debet, & quod tantum eius exercitium sit su habuit im-
pensum. At enim vero Imperatoris imperium sacrum est perator.

28 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

extinctum (§. XXI.) adeoque ipsum hoc ius actu compretere desit, (per definit.), tale ius vero, licet noua acquisitione interueniente iterum de novo acquiri possit, reuiniscere tamen nequit: ergo imperium sacrum imperatoris, quod ei olim competit, per suspensionem imperii papalis non reuiniscit.

§. XXVII.

An super- Superior I. R. G. nec per suspensionem imperii hierar-
rior I. R. G. chici in pace W factam, nec alio modo, uouum imperium
per suspen- sacram de novo acquisiuit. Ex historia enim constat supe-
sionem in riorem I. R. G. i. e. Imperatorem & status, tempore P.
P. W. sa- W. de eo nequidem sollicitos fuisse, ut nouum imperium
etiam impe- sacram de novo acquirerent, sive vel subductum im-
rium sa- perimium ciuile in sacra, vel potestatem ecclesiasticam, cum
erum acqui- imperio summo germaniae ciuili iterum coniungerent,
suerit. per consequens non adsunt facta, per quae noui imperii
sacri de novo facta adquisitio probari possit. At enim ve-
ro talis noua adquisitio tamen facta est, ergo deficiente
probatione facta est neganda.

§. XXVIII.

D. T. evan- Per suspensionem imperii hierarchici ecclesiae pontificae,
gelicos iura D. T. evangelici acquisuerunt quoad ecclesias evangelicas,
maiestatica in suis prouinciis subsistentes, iura maiestatica in sacra, seu,
in sacra ac- quod idem est, imperii ciuilis sacri partem, quam impe-
quisuisse rium ciuile in sacra cappello, quod, facta hac suspensione,
euincitur. coexistere incepit imperio ciuili D. T. evangelicorum seu,
quod idem est, eorum superioritati territoriali; sive per
banc suspensionem singulae ecclesiae evangelicae in territoriis
D. T. evangelicorum subsistentes non sunt ecclesiae liberae
quoad imperium ciuale in sacra factae, licet viauaria eccl. si-
protestantium germanica per eam libera ecclesia quoad impe-
rium

rium ciuale in sacra facta sit. Iam ante suspensionem imperii hierarchici ecclesiae pontificiae D. T. omnes, sive que etiam eos qui in protestantium castra reformatione facta transferunt, superioritatem territorialem, hincque imperium quoddam ciuale, in prouinciis suis habuisse, ei que superioritati territoriali iam tum inextitisse imperium ciuale circa sacra, sive iura maiestatica circa sacra (§. XIII.), ex principiis iuris publ. I. R. G. hic tanquam cognitum praesuppono. At enim vero, licet iis qua superioribus rerum publicarum specialium I. R. G. abstrahendo a pactis, etiam imperium ciuale in sacra nouae huius ecclesiae aequalis (§. IX.) competere debuisse (§. X.), tamen stante adhuc & nondum suspenso imperio hierarchico ecclesiae pontificiae, hoc imperium ciuale in sacra non poterat non cessare (§. XV.), ita, ut vnicum fundamentum non existentiae imperii ciuilis in sacra D. T. ante suspensionem imperii hierarchici, fuerit ipsum hoc imperium hierarchicum. Suspensio ergo in totum hoc imperio hierarchico quoad D. T. euangelicos eorumque subditos euangelicos (§ XXII.), sive sublatu vniico impedimento non existentiae imperii ciuilis in sacra D. T. euangelicorum, non poterat non illud existere, & iam praecoxiti superioritati territoriali coexistere incipere. *Quod erat primum.*

Cum itaque, per demonstrata, post suspensionem imperii hierarchici ecclesiae pontificiae, coexistere incepit superioritati territoriali D. T. euangelicorum imperium ciuale in sacra ecclesiarum euangelicarum in suis prouinciis subsistentium, singulæ hæc ecclesiae in sacris D. T. imperio ciuali in sacra subiectæ sunt, &, cum D. T. hoc imperium prout ex demonstratione primæ partis

pre-

30 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

propositionis per se patet, non ut membrum ecclesiae, sed ut dominus territorialis habeat, & is, qua talis consideratus, sit respectu ecclesiārum in territorio subsistētū extraneus, singulae ecclesiae particulares euangelicae, in territoriis D. T. euangelicorum subsistentes, post suspensionem imperio ciuili in sacra extranei sunt subiectae. Per hanc suspensionem itaque haec ecclesiae non sunt factae liberae ratione imperii ciuilis in sacra (§. VIII.), licet, cum probari nequeat aliquem adesse, cuius imperio in sacra vniuersa ecclesia protestantium germanica subiecta, cum nec superior I. R. G. (§. XXI. XXVI. XXVII.) nec Pontifex (§. XXII.) tales sint, tertium vero non adesse per se pateat, vniuersa ecclesia protestantium germanica per eam quoad imperium ciuile in sacra ecclesia libera facta sit.
Quod erat secundum.

§. XXIX.

Quid ecclesia protestantium german. per suspen-
hō-
nem hanc
acquisi-
tit?

Per suspensionem imperii hierarchici ecclesiae pontificiae, ecclesia protestantium germanica acquisiuit potestatem ecclesiasticam. Cum ecclesia protestantium adhuc esset pars hierarchiae, potestas ecclesiastica ei competere haud poterat, quippe quae inerat imperio hierarchico, eiusque pars erat (§. XIII.). Cum vero, reformatione orta, ecclesia protestantium se separaret ab ecclesia pontificia (§. XX.), sicut noua ecclesia orta, & posita ecclesia ponatur potestas ecclesiastica (§. III.), orta est noua potestas ecclesiastica, ecclesiae protestantium potestas ecclesiastica nimirum. Ast antequam bellum per pacem compositum & in pace imperium hierarchicum ecclesiae pontificiae suspensum, haec separatio nondum consummata erat, sicut nec noua potestas ecclesiastica nouae ecclesiae protestantium plene ab ea acquisita erat, cum imperium hierarchi-

cum

cum ecclesiae pontificiae adhuc obstaret. Postquam vero tandem separatio ecclesiae protestantium consummata, & suspensio imperii hierarchici facta, siveque obstaculum remorum, ecclesia protestantium potestatis ecclesiasticae particeps facta, & per consequens eam acquisiuit.

§. XXX.

Tempore reformationis D. T. euangelici ecclesiarum Lemma historicum de euangelicarum suorum territoriorum potestatem ecclesiasticam sumserunt, &, tantum abest ecclesias contradixisse, & se opposuisse, ut potius adsint exempla ecclesiarum, quae, ut hoc fiat, optarunt & petierunt.

Qui probationem huius propositionis historicae desse hic miratur, legat velim quae in scholio ad §. XX. iam dicta sunt.

§. XXXI.

Domini territoriales euangelici acquisuerunt, non quidem per suspensionem imperii hierarchici, ast tamen ea ad ratione pot. miniculante potestatem ecclesiasticam ecclesiarum euangeli carum in suis territoriis subsistentium, vel, quod idem est, euang. carum iura collegialia, Cum enim tempore reformationis, siveque in ipso ortu potestatis ecclesiasticae ecclesiae protestantium, D. T. euangelici sibi sumerent eam, tacuerunt ecclesiae (§. praec.). Si vero hoc silentium non inuoluit tacitum consensum ecclesiarum de transferendo hoc iure, nescio sane quale silentium tacitum consensum inuoluat. Et sic probata translatione, acquisiuisse hoc ius D. T. euangelicos dubio caret. Quod erat primum.

Hoc vero non quidem per suspensionem imperii hierarchici, ast tamen ea adminiculante, factum esse, partim inde pater, quod, iuxta demonstrata, acquisitio per translatio-

32 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

lationem ecclesiae facta: partim vero inde, quod, nisi su-
spensio haec facta fuisset, non acquisiissent ecclesiae po-
testatem ecclesiasticam, (per demonstrationem §. XXVIII.),
sicque nec eam transferre potuissent. *Quod erat secundum.*

Sunt, qui propugnant, expressam translationem iurium colle-
gialium ab ecclesia in principiem factam probari posse; sed mea-
hic non interest, an translatio expressa probari possit, an vero
non. Quam ob rem controversiam S. R. PFAFFI aliorumque
cum *Icto consummatissimo* L. B. de CRAMER meam non facio.
Nimirum Perill. L. B. de CRAMER voluit probare in *dissert. de*
iure circa sacra collegiali & maiestatico §. 67. omnia collegialia iura
statuum protestantium fluere ex pacto expresso cum subditis inito,
sed an actu probauerit talem expressam delationem omnium ecclie-
siarum protestantium, alia est quaestio. Ego persuasus sum Vi-
tum Perill. non venditasse hanc delationem ecclesiae cuiusdam
particularis pro vniuersali. Caeterum, quod sufficiat translatio
tacita ad exercitium horum iurium, in aprico est. Notatu digna
sunt, quae Iuliae Carolinae decus Illustr. PERTSCHIVS, Prae-
ceptor ad cineres usque colendus in *Elem. iur. can. P. I. §. 90.*
& 91. docet: ut & quae Consalt. Dn. WIESENHAVERN in per-
erudito opere cui inscripsit: *Grundsätze des allgemeinen und beson-*
dern Kirchenrechts der protestirenden in Teutschlanda, P. I. C. 5.
§. u. in medium profert. Ibi enim dicit Vir doctissimus: *Wir*
sind übrigens der Meinung, dass es gar nicht nötig sey, die ausdrück-
liche Übertragung zu beweisen. Es kan genug seyn, dass nach dem
Zeugniß der Schriftsteller die Landes-Hobert sich der Rechte ange-
masset, und die Gemeinden keinen Einspruch gethan, folglich die
Verwaltung consensu tacito der weltlichen Obrigkeit anvertrauet
worden. Videtur quidem Consalt. Dn. WIESENHAVERN in his
verbis dixisse: quod Principes vi superioritatis territorialis haec
iura sibi arrogauerint. Cum vero palmaria thesis huius disputa-
tionis sit, ut demonstrem, imperium sacrum D. T. evangelico-
rum iis non competere vi superioritatis territorialis, hanc locutio-
nem non meam facio.

§. XXXII.

§. XXXII.

Imperium hierarchicum ecclesiae pontificiae duas Iura mere habere species, *imperium papale* nimirum, & *imperium papalia & episcopale*, satis notum est. Singula iura in imperio papae mere episcopali contenta vero *iura papalia*, & singula iura in imperio scopiae episcopali contenta *iura episcopalia* appellantur. Inter haec tam papalia quam scopiaia iura alia talia sunt, quae ex natura sacri imperii, nimirum potestatis ecclesiasticae & imperii civilis in sacra, fluunt; alia talia non sunt, veluti quae solis paetis, aut legi cuidam positivae originem debent. Posteriora haec iura appello *iura mere papalia*, & *iura mere episcopalia*.

§. XXXIII.

D. T. euangelici per suspensionem imperii hierarchici De acquisitione ecclesiae pontificiae acquisiverunt, quoad ecclesias euangeliicas in suis territoriis subsistentes, iura mere papalia & mere episcopalia, quatenus ea in his ecclesiis locum habere possunt. Facta suspensione imperii hierarchici ecclesiae pontificiae, siveque etiam iurium mere papalium & mere episcopalium, quoad subditos euangelicos D. T. euangelicorum, aut haec iura quiescunt, siveque suspensio extinctiva fuit, aut exercitium eorum in alios est translatum, siveque suspensio translativa fuit. Quiscere haec iura verum quidem est, quoad ea mere papalia & mere episcopalia iura, quae, ob magnam diuersitatem, quae est tam quoad ipsa religionis principia, quam etiam quoad internum statum, inter ecclesiam pontificiam & protestantium, locum habere posse impossibile est: ast quoad reliqua falso esse, ita probo: ex natura iuris suspensi quidem per se non fuit illud interim, dum suspensum est ratione huius, etiam eo ipso ratione aliorum suspensum esse, siveque plane quiete-

E

rc,

34 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

re, sed potius utrumque possibile est, tam illud quiescere, quam alium illud interim exercere: & prout per naturam suspensi iuris hoc nondum determinatur, ita & in ipsis verbis P. W. hoc non determinatum, quippe quae sancit, *suspensa est*, nec determinat quid durante suspensione iustum esse debeat, an nimis quiescere debeat, an vero ab aliis exerceri possit ius suspensum. Cum vero, quicquid ex legis verbis determinari nequit, aliunde determinandum sit, faciam periculum aliunde hoc determinandi. Ponamus itaque pacis verba ita intelligenda esse, quod haec iura quiscere debeant, tum, posito hoc sensu, ecclesiae acquisiuissent immunitatem, licet interimisticam, quod haec iura, cum tamen nec eam quaesuerint, nec alios eam eorum nomine acquisiuisse probari possit. At enim vero, his positis circumstantis immunitatem his ecclesiis tribuere absurdum esset: ergo facta suspensio, quoad ea mere papalia & mere episcopalia iura, quae in ecclesiis euangelicis locum habere possunt, pro suspensua haberit nequit, & per consequens translatiua est. Hanc translationem vero factam esse in D. T. euangelicos, tam inde pater, quod nemo alias, praeter hos, allegari possit: quam etiam ex eo fluit, quoniam hi sunt illi, qui contradixerunt imperii hierarchici vteriori exercitio, & rem tandem eo perduxerunt, hanc suspensionem factam esse.

Notum est STRYKIVM in Diss. *de iure papali principum euangelicorum ex instituto probare voluisse*, principes euangelicos esse Papas in suis territoriis, & hanc esse naturam & indolem totius imperii sacri eorum, quod sit ius papale, cum illo tamen temperamento exercendum, quod euangelicae religionis principia suppeditant. Non quidem ego in omnibus subscribo huius sententiae SYRYKII, ast quoad ea iura in imperio papali contenta, quae mere papalia sunt, sententiae eius subscribo. Licet vero

Vero eatenus STRYKII sententiam defendam, tamen probationem, qua vius est, non sufficere credo, quippe quae nec in genere probat quod probandum erat, nec in specie hanc thesin. Prouocat nimurum in Cap. II. §. 9. qui locus is est in quo sententiam suam ex instituto probare voluit, ad verba *ss. ius dioeces.* I. P. satis nota & supra (§. 22.) iam obvia: *Et intra terminos territorii cuiusque ius dioecesanum & iurisdictione ecclesiastica si contineat, putans, pacientes hic loqui de territorio principis euangelici, in quo tamen egregie fallitur.* Certissimum enim est, licet breuitatis studium & temporis augustia non permittant probationem addere, hunc locum intelligendum esse de territorio episcopi catholici, & quidem, quando dicitur *ultra eius terminos non esse extendendum ius dioecesanum & iurisdictionem ecclesiasticam, hoc intelligendum esse relative, nimurum in relatione ad D. T. euangelicos eorumque subditos en angelicos in diocesi eiusdem episcopi subsistentes.*

§. XXXIV.

Licet non per suspensionem imperii hierarchici ecclesiae De iure pri-
pontificiae, tamen per pacem Westphalicam & occasione re-
formationis, D. T. euangelici acquisuerunt ius primaria-
rum precum in suis territoriis, si Imperator a 1624. d. 1.
Ian. eas non exercuit. In I. P. Art. V. §. 26. conuentum
est: In quibusunque foundationibus mediatis a. 1624. d. 1.
Ian. S. C. Maiestas primarias preces exercuit, exerceat eas
& imposterum. Ergo, vbi non exercuit dicto tempore,
nec imposterum eas exercere potest Imperator. Quae
cum ita sint, aut in foundationibus mediatis vbi non exerce-
re potest amplius Imperator ius primiarum precum ces-
sat in totum hoc ius, aut alius illud acquisuit. Prius fal-
suum esse eodem modo demonstrari potest, quo in demonstr.
ss. praec. iura mere papalia & mere episcopalia non qui-
escere demonstratum est. Ergo verum est posterius, ni-
mirum

36 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

mirum ius primiarum precum ibi, vbi Imperator dicto tempore non exercuit, non plane cessare. *Quod erat pri-*
mum.

Quod vero D. T. euangelicus sit is in quem hoc ius translatum, inde patet, quoniam in D. T. euangelicorum fauorem & ad eorum instantiam ita conuentum est in pace Westphalica, reliquis statibus Imperatori nullum controversiam propter ius primiarum precum mouentibus.
Quod erat secundum.

Ex variis quidem fundamentis D. T. competere potest ius primiarum precum, ast reliqua fundamenta, praeter hoc celsans nimirum ius primiarum precum Imperatoris, non sunt generalia fundamenta, hincque ex iis non cuiuslibet D. T. euangelico comperit ius primiarum precum. Ceterum possem quidem varia de hoc iure primarium precum D. T. addere, ast, ne actum agam, remitto B. L. ad Fridericianae decus, Praeceptorem meum nimeni secundum, Illustr. DR PRAES. in Observ. von den wahren Gründen des Rechts des Landesherren bey den mittelbaren Stiftern in ihren Ländern diurnis Hallensibus de An. 1750. n. 3. & 4. inferra.

§. XXXV.

D. T. euangelici imperium ciuale circa sacra sive iura maiestatica circa sacra, quae omnes D. T. iam ante tempora reformationis & conclusae pacis religiosae & Westphalicae tempora habuerunt, non amiserunt, licet limites huius iuris per pacem Westphalicam passim determinati sint. Quod non admiserint D. T. euangelici imperium ciuale circa sacra, sive iura maiestatica circa sacra (§. XIII.), quae iam ante reformationem & conclusae pacis relig. & Westphal. tempora habuisse hodie nemo amplius dubitar, est talis negativa propositio, quae probari nequit, sive tamdiu pro vera habenda, donec amissio a negante probari possit,

An D. T.
euangelici
imperium
circa sacra
amiserint.

possit, quam nemo probabit vñquam. *Quod erat pri-*
mum.

Quod vero imperii circa sacra limites per pacem West-
phalicam passim determinati sint, vel inde pater, quod iu-
ris reformandi, quippe quod huius imperii ciuilis sacri
pars est (§. VII.), in Art. V. §. 34. seqq. Instr. P. limites
determinati sint. *Quod erat secundum.*

§. XXXVI.

*Imperium sacrum statuum protestantium seu D. T euani Imperium
gelicorum Imp. R. G. est, in sensu latiori sumtum, impe- sacrum sta-
rium eorum sacra externa subditorum concernens.*

Scio magis receptum esse terminum: *ius circa sacra princi-*
pis euangelici. Scio etiam communem loquendi vñm non esse de significatu
serendum. At scio etiam limitationem: *non temere.* Spero vero latiori sit?
quemlibet, qui totum nexum huius scripti perspicit, facile esse
concessuram, me non temere alium terminum, qui tamen non
plane insolitus est, adhibuisse.

§. XXXVIII.

*Imperium sacrum D. T. euangelicorum seu statuum & quae iura
protestantium, quoad ec lesias euangelicas in territorio sub sub se con-
sistentes, in sensu latiori sumtum continet 1) imperium ci uineat?
uile circa sacra seu iura maiestatica circa sacra; 2) imperium
ciuile in sacra seu iura maiestatica in sacra; 3) potestatem
ecclesiasticam, seu iura sacra collegialia; 4) iura mere pa-
palia & mire episcopalia, dicto § XXXIII. modo; 5) ius
primariarum preum, dicto §. XXXIV. modo. Primam
imperii sacri speciem D. T. euangelici enim nunquam
amiserunt (§. XXXV.), quatuor reliqua iura vero acqui-
suerunt (§. XXVIII. XXXI. XXXIII. XXXIV.).*

Notandum imperium sacrum D. T. euangelicorum differre
pro ecclesiae in territorio subsistentis diversitate, que est aut euau-
gelica, aut catholica, aut iudaica. Ex ipsa propositione vero pa-
ter,

38 Cap II. de imperii sacri statuum protestantium

tet, me hic tantum loqui de casu primo. Iam itaque de secundo & tertio casu etiam agendum esset. ast & haec theoria tam difusa est, vt eam hic simul tradere non liceat. Postquam itaque hucusque imperium sacrum statuum protestantium considerauit in relatione ad ecclesiam euangelicam ei subiectam, iam etiam, vt nihil praetermittam, quod eo facit, vt natura & indoles huius imperii, ratione ecclesiarum euangelicarum, penitus perspici possit, illud adhuc considerandum erit: 1) in relatione ad imperia summa quae in Imp. R. G. excentur, & 2) in relatione ad ipsam superioritatem territorialem.

§. XXXVIII.

Imp. sacra
Stat. protest.
in sensu spe-
ciali quid sit
& quae iura
continet.

Imperium sacrum statuum protestantium in specie seu
proprié sic dictum, id imperium eorum appello, quod ipsa
lacula externa subditorum concernit: sive hoc imperium,
quoad ecclesias euangelicos in territorio subsistentes, continet
non nisi quatuor posteriora iura ex iis, quae totum imperium
hoc in sensu latiori sic dictum secundum §. praece. continet,
nec ad id in hoc significatu pertinet imperium ciuale circa
sacra.

Notum est alios ius reformandi ad imperium sacrum statuum protestantium, seu, vt aiunt, ius principis euangelici circa sacra, referre, alios vero non. Haec controversia vero non tantum ius reformandi, reuera totum imperium circa sacra, ad quod pertinet ius reformandi, concernit. Quo iure enim hoc negatur aut affirmatur de iure reformandi, eodem iure de toto imperio circa sacra affirmandum vel negandum. Ad evitandam itaque omnem logomachiam, & vt breuibus mentem meam exprimere possim, distinguere consultum esse credidi, inter imperium sacrum statuum protestantium in sensu latiori (§. XXXVI.) definitum, & in sensu strictiori. Secundum priorem significatum itaque concedo, secundum posteriorem vero nego, ius reformandi, immo totum imperium circa sacra, esse partem imperii huius sacri de quo ago. Ceterum in genere notandum, me in sequentibus semper loqui de imperio sacro statuum protestantium in proprio & stri-

strictiori significatu. Esse enim imperium sacrum statuum protestantium in latiori significatu, quod imperium circa sacra in eo contentum, vel, quod idem est, quoad iura maiestatica circa sacra, partem superioritatis territorialis & dependens imperium, amabus concedo.

§. XXXIX.

Imperium sacrum statuum protestantium est indepen- dents ab imperio ciuili summo superioris Imp. Rom. Germ. dentia im- Ex §§. XXVIII. XXXI. XXXIII. XXXIV. in quibus osten perii sacri sum, quomodo singula iura, in hoc imperio sacro conten- stat protest ta (§. praeced.), acquisita, patet, omnia acquisita esse ratione per pacem Westphalicam & per suspensionem imperii hie- civi imperii eiv. summi rarchici ecclesiae pontificiae, aut ad minimum ea admini- germanici, culante. At enim vero superior Imp. Rom. G. iam ante hanc suspensionem factam amiserat imperium sacrum (§. XXI.), siveque iam ante eam nec inerat, nec coexistebat imperio ciuili summo germaniae imperium sacrum, si di- scesseris ab illo imperio sacro, quod, cum ecclesia in hie- rarchiam degeneraret, secundum (§. XX.) remanebat. Si iaque imperium sacrum statuum protest. dependent esset ab imperio ciuili summo superioris Imp. R. G. illud aut ab imperii sacri partibus quae amissae ante ortum ecclesiae euangelicae, aut ab iis quae nouiter post suspensionem acquisitae, aut ab iis quae semper remanerunt penes su- periorem Imp. Rom. G. dependens esse, necesse est. Pri- mum falso est, cum amissum imperium sacrum extinctum sit (§. XXI), & non reuiixerit orta ecclesia protestan- tium, factaque imperii hierarchici suspensione (§. XXVI.); siveque adhuc non ens sit, cuius nulla sunt praedicata. Se- cundum etiam falso est, cum orta ecclesia prot. & suspen- sione imperii hierarchici ecclesiae pontificiae facta, nouum impe-

40 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

imperium sacrum a superiore Imp. R. G. nouiter non acquisitum (§. XXVII.); hincque sic iterum ponatur imperium, quod non existit, & per consequens & hoc in causa dependentia cesseret. Sed & tertium fallum est. Si enim a retenta parte imperii sacri dependens esset imperium sacrum statuum protestantium, aut a paucis illis reliquiis imperii in sacra dependens esset, aut ab imperio ciuili circa sacra (§. XX.). Prius iterum falsum esset cuilibet statim patet, qui reliquias has sibi in memoriam reuocat. A iure imperatoris concedendi diploma victalitii (*Panis-Brief*) enim non dependeret: sed nec a iure primariarum precum dependens esse, quisquam affirmabit, & ita porro. Nec minus posterius fallum esse inde patet, quod ab imperio circa sacra, sicut ab imperio quod non concernit ipsa sacra (§. VII.), imperium in sacra, sicut imperium quod concernit ipsa sacra, dependere impossibile sit, imperium sacrum itaruum protestantium, de quo loquor (Sch. ad §. XXXVIII.), vero, sit imperium in ipsa sacra (§. cit.). Quae cum ita sint, demonstratum est, quod erat demonstrandum.

§. XL.

a) imp. hierarchici eccl. pontificiae, sicut a papali & episcopali imperio. Est enim hoc imperium quoad status protestantes suspensum (§. XXII.), sicut quoad eorum imperium sacrum nullum amplius effectum habere potest. Ergo nec eum, quod ab eo, & cum id continetur papale & episcopale imperium (§. XXXII.), a papali & episcopali imperio, dependens esse possit. Ergo est ab eo independens.

§. XLI.

§. XL.

Imperium sacrum statuum imperii protestantium a & 3) alio nullius hominis in hoc mundo imperio dependens est, sicque rum imperio ratione aliorum hominum plane independens est. Nec enim euincitur. Dependens est ab imperio summo ciuili superioris I. R. G. (§. XXXIX.): nec dependens est ab imperio hierarchico ecclesiae pontificiae, hoc est, papali seu episcopali imperio (§. XL.): nec etiam dependens est a Regis Galliae, Sveciae, Daniae, aut aliis cuiusdam superioris imperio, quod per se patet. Ergo a nullius hominis imperio dependens, & per consequens ratione aliorum hominum plane independens est.

Et sic evicta est independentia imperii sacri statuum protestantium. Thesis ipsa non est noua, & ex instituto ciuincere eam sibi profosuit B. HELFERICHIVS in Disl. de independentia iuris circa sacra statuum ordinumque imperii germanici euangel. Tu L. B. legas velim hoc scriptum & quae alii de eodem themate scripserunt, & tum iudica, an cramben his coetiam apposuerim.

§. XLII.

Imperium sacrum statuum protestantium non est pars Imper. sacri superioritatis territorialis, sed potius superioritati territoriali stat. protest. statuum protestantium tantum coexistit, & hoc est praeceps non est pars pium principis euangelici ante principem catholicum, quod S. T. illius superioritati territoriali coexistat imperium sacrum cui ecclesiae euangelicae in territorio subsistentes subiectae sunt, huius superioritati territoriali vero non coexistat tale imperium sacrum, cui ecclesiae catholicae in territorio subsistentes subiectae. Licet controuersum sit quomodo, & quo tempore, orta sit superioritas territorialis imperii ordinum, in eo tamen conueniunt omnes, tempore reformationis & antequam suspensio imperii hierarchici facta, iam extitisse eam. At enim vero singula illa iura, quae coniunctim

F

con-

42 Cap. II. de imperii sacri statuum protestantium

constituunt imperium sacrum statuum protestantium (§. XXXVII.), postea demum orta esse, & per consequens, & ipsum hoc imperium sacrum postea demum ortum esse, ex ipsis demonstrationibus per quas §. XXVIII. XXXI. XXXIII. XXXIV. acquisitio euicta est, abunde patet. Constat porro ex modo cit. §§. singula haec iura, quae coniunctim imperium sacrum D. T. euangelicorum constituunt, non ex S. T. orta, sed potius per suspensionem imperii hierarchici, aut ad minimum ea adminiculante, &, quod in specie ius primariarum precum attinet, ex sublato imperatoris iure, acquisita esse. Nec minus constat hoc imperium sacrum esse imperium independens (§. XL.), cum S. T. sit dependens imperium. Iam vero ius quod ortum post S. T. ita ut ex ea non fluat, nec prout ea, dependens, sed potius independens est, pro parte S. T. haberi nequit; hincque nec imperium sacrum stat. protest. quod tale ius est per demonstr. sed potius, cum tamen simul S. T. quae ab hoc imperio plane diuersum imperium est, statibus protestantibus competat, superioritati territoriali tantum coexistit. *Quod erat primum.*

Cum vero principi catholico tale imperium sacrum, quale est imperium sacrum principis euangelici, ratione subditorum catholicorum (nam ratione euangelicorum in omnia alia abeo) per principia Iuris publ. eccles. pontif. non competit: hoc imperium sacrum est praecipuum principis euangelici ante principem catholicum. *Quod erat secundum.*

Quae cum ira sint, superioritas territorialis in se quidem pro religionis D. T. diuersitate non differt: ait tamen, quoad imperium sacrum coexistens, magna iro religionis diuersitate obtinet differentia. Pater porro, si de D. T. euangelici S. T. sermo est, non dicendum esse eam continere partim iura in sacris, par-

tim

tim in profanis: sed potius dicendum esse, imperium ciuale, quod D. T. E competit in suis territoriis, duas partes habere, nimirum 1) superioritatem territorialem; 2) imperium sacrum; hoc que differre iterum pro ecclesiarum in territorio subsistentium secundum religionem diuersitate. Vid. Schol. ad §. XXXVII.

§. XLIII.

Quae de natura & indole imperii sacrifatuum protest. dicta sunt, non quidem per expressa verba legis cuiusdam fundamentalis I. R. G. praesertim I. P. confirmari possunt: ast tamen nullus textus in his legibus obuius iis, quae dicta sunt, contrarius, & fluunt omnia ex art V. §. 48. & 26. I. P. De primi & secundi huius propositionis membra veritate ego quidem neminem conuincere possum, sed potius quilibet se ipsum de ea conuincere debet & potest, legendo & scrutando leges imperii fundamentales. Ast, quod tamen, quae de natura & indole imperii sacrifatuum protestantium dicta sunt, fluant ex artic. V. §. 48. & 26. I. P. ex nexu omnium §§. subsequentium. §. XXII. cum eo & ex ipso §. XXXIV. patet.

Monendum hoc fuit in gratiam infirmorum & incredulorum qui, si non vbiique legis verba vident, non ius constitutum sed constituendum tradi, alta voce clamant. In proverbiis ab initio in scholis Icitorum: *Legem quaerere, ubi adeſt ratio naturalis, infirmitas intellectus est.* Ego quidem non credo hoc brocardicum esse verum, sed, cum huius loci non sit rationes cur hoc non credam allegare, cathedrae reservo eas, si quis hoc credit, exponere: ast tamen hoc credo, infirmitatem intellectus esse legem (nimirum pestinam) quaerere, & praesertim ipsa verba si plane nulla extat. Sed redeamus ad magis feria. Dixi nullum textum obstantem allegari posse, & tamen pro defendenda sententia, meae e diametro contraria, esse nimirum imperium sacrum statuum protestantium partem superioritatis territorialis, textus ex I. P. desumti allegari solent. Ast, non sufficit textus allegari posse, sed quaeritur an obstante. Præcipuus textus, quem obui-

F 2.

ciunt,

ciunt, hic est: Singuli Electores &c. in antiquis suis iuribus, praerogatiis, liberate, privilegiis libero iuris territorialis, tam in ecclesiasticis, quam politicis exercitio — — ita stabiliti firmataque sunt, ut a nullo unquam sub quoconque praetextu de facto surbari possint vel debeant, I. P. Osnab. art. VIII, §. i Sic itaque argumentantur. Si P. W. confirmat statuum ius territoriale in ecclesiasticis, imperium sacrum statuum protestantium est pars superioritatis territorialis. Atqui verum est prius, ergo & posterius, Concedo prius & nego consequiam. Quid enim, quae*lo*, hie est ius territoriale? Est, nisi me omnia fallant, ius quod D. T. in territorio suo competit. Nonne vero D. T. in territorio suo ius competere potest, quod non pars est superioritatis territorialis? Sed quid, si negarer quis datam definitionem iuris territorialis veram esse, & menti paciscentium conuenire? Possem quidem veram esse probare, ast, vt breuius me expediam, in eius gratiam sic respondeo. Ponamus per ins territoriale hie intelligi ins fluene ex superioritate territoriali, tum tamen textus, non nisi de eo iure territoriali in ecclesiasticis intelligendus esset, quod a) omnibus statibus competit; cum lex loquatur de omnibus statibus: & quod b) antiquum ius est, iam ante pacem Westphal. acquisitum & tantum confirmandum, non de novo stabilendum, cum lex loquatur de antiquis iuribus, praerogatiis &c. & addit: stabiliti firmataque sunt. Iem dic fides, cui iuri territoriali in ecclesiasticis competit haec attributa? Nulli sane quam imperio ciuilis circa sacra & eo pertinenti iuri reformandi. Ast imperium ciuale circa sacra esse partem superioritatis territorialis & ex ea fluere, vi eius competere, ei inexistere, cocedo, de eo vero non loquor, vid. Schol. ad §. XXXVIII.

§. XLIV.

Et sic du*tae* sunt primae lineae systematis, de imperio sacro statuum protestant I. R. G. quod, sive pro numero, sive pro dia cognito habeas, mihi perinde est; modo de veritate non dubites. Iam duo peragenda superessent, nimurum 1) singula iura in hoc imperio sacro secundum (§. XXXVIII.) contenta, essent vterius euoluenda, & con-

clu-

clusiones ex principiis stabilicis cogendae. 2) Imperium
hoc non esse tale, pro quo illud venditari solet, veluti
non esse christocraticum, non papale, non episcopale, non
territoriale, non collegiale, non ex parte territoriale ex
parte vero collegiale demonstrandum. Ast abrumpendum
filum cum, iam stans pede vno in itinere, ex hac acade-
mia ad patrios lares reuersurus, vasa conclaranda sint,
& sic vitae academicae, discendi causa hactenus peractae,
& huic specimini simul imponendum.

DOCTISSIMO
DOMINO AVCTORI
HVIVS DISSERTATONIS
S. P. D.
PRAESS.
S. P. D.

Conscriptisti Cl. Dn. MADIHN hanc dissertationem, eamque
publicae luci exposuisti, eo fine, ut edas eruditio*nis TVA B* specimen.
Landabilis sane finis. Ego etiam coniuctus sum *TE* finem, quem *TIBI*
proposuisti, adsequutum esse, hancque *TVAM* dissertationem verae &
solidae eruditio*nis* specimen esse, de quo *TIBI* gratulor ex animo.
Ast, si vis ut canam ut vates, praefacio *TIBI*, futuros esse multos, qui
alter sentient. Video & audio iam Theologos, ICTos, Historicos &
Philosophos frontem contrahentes, & quaevis dura in *TE* (forsitan & in
me, criminis, si Diis placet, socium) euomantes, solius forte Medici
stomacho non moto, sed iam, non tam ex artis suae pertia, quam ex
artis nostrae docta ignorantia. Non deerunt, crede mihi, *Theologi* qui,
TE pro hierarchia pugnare legentes, altum spiritum trahentes, pro
non satis orthodoxo, ne quid grauius dicam, *TE* habebunt. Non
deerunt *ICTi* qui, leges & DD. testimonia frustra querentes, ubique
vero concatenata ratiocinia inuenientes, alta voce clamabunt: *erubescat*
ICTus sine lege loquens, per L. 19. C. de Collat. L. 5. C. de repudiis &
communem DD. scholam, quae recte cantat: *qui cum lege ambulat, ruco*
ambulat. Non deerunt *Historici*, qui pro monstro horrendo, cui lu-


men

men ademum, habebunt, iuris publici specimen, quod non plus factum
 am iuris continer, monoculum te esse, & in tenebris calcere ebuc
 cinabunt. Non deerunt Philosophi, qui logicae scientiae defectum dole-
 bunt, te que nec notiones ex venerande artis regulis rite formasse,
 nec rigorem philosophicum in demonstrando ubique obseruisse, di-
 catoria vece enunciant. Et quidni tandem ab illis, qui nouellas
 litterarias compilant, tibi est merendum! Hi, specimen two su-
 gituo oculo perlustrato, allegationes & remissiones ad alia scripta non
 ubique animaduertentes, nisi forsitan, quod tamen non spero, laudes
 eorum vendere aut emendicare placuerit nulla adhibita diligentia, nec
 eruditus conscripsum esse hoc specimen mox iudicabunt, iterumque char-
 tam deperditam esse ingeminabunt. Vae tibi itaque amissime Dn.
 MADIHN! Ast confidas velim bonaе cause, triumphabit tandem.
 Non deerunt etiam Theologi cordati, veritatem amantes. Non deerunt
 etiam Icti rationales legem non querentes, vbi nulla adest, & non
 autoritatibus DD. sed rationibus in cathedra pugnandum esse, largien-
 tes. Non deerunt etiam Historici fideles, limites inter historiam & iu-
 risprudentiam sancte custodiendos esse, approbantes. Non deerunt
 etiam Philosophi prudentes, in omnibus rebus seruandum esse modum,
 & aliud esse scribere in systemate, aliud scribere extra systema, nec
 non ea, quae cuiilibet lectori intelligenti, etiam non monito, statim suc-
 currunt, non ubique esse repetenda, admittentes. Erunt vero etiam
 inter eos, qui noua litteraria annunciant, tales, qui, unicum paragra-
 phum ex propria meditatione scriptum, saepe plus eruditioris sapere,
 quam integra folia ex aliorum scriptis compilata, iudicabunt. Si itaque
 tv, doctissime Dn. MADIHN, non curas, quid sentiat turba, sed
 bonis placuisse tibi sufficit, perge iudicum plus, quam memoriam ex-
 colere, perge ex propria meditatione scribere potius, quam compilare,
 quae ab aliis iam scripta sunt, & non vanus augur augoro, tv bonorum
 omnium applausum esse meriturum. Faxit SVPREMVM, quod regit
 omnia, NVMEN, vt prout hucusque, ita & imposterum, omnia
 tibi ex voto cedant. Et sic te, cum publico testimonio, quod fue-
 ris in hac Academia ciuis talis, qualiem omnes esse opto, & mecum opa-
 bunt omnes boni, dimitto; addens votum, vt mox saluus ruas in ample-
 xus III. tv PARENTIS, cui gravator de filio ex academiis reduce,
 qui bonis scientiis locupletatus redit. Dabam Halae d. x. April. MDCL.

halley, Diss.) 1751 $\pi(\pi-z)$



B.I.G.



DE
IMPERII SACRI STATVVM
PROTESTANTIVM
IMP. ROM. GERM.
VERA NATVRA ET INDOLE.

IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET CONSVLTISSIMO
D. DANIELE NETTELBLADT,
POTENT. BORVSS. REGI A CONSILLIS AVLICIS
ET PROFESSORE IURIS ORDINARIO,
PRAECEPTORE SVO AETATEM COLENDO
DIE XIV. APRILIS MDCCL.

H. L. Q. C.
P V B L I C E D I S P V T A B I T
A V C T O R
G E O R G I V S S A M V E L M A D I H N
G V E L P H E R B Y T A N V S.

HALAE,
W T F I S H E N D E L I A N I S.

(6)